

due sic persolventur, item cum quemquam istorum mori contigerit, extunc redditus quatuor marcarum libere ad memoriam ipsius defuncti habendam ad nostram ecclesiam redibunt. Cum vero jam prenotati Reynerus et uxor sua fuerint viam universe carnis ingressi, solute et
 5 libere sepedicti redditus octo marcarum ecclesie nostre cedunt, ut am-
 borum defunctorum memoria fideliter jugiter modis et condicionibus, ut premissum est, salubriter peragatur. Si vero quid impedimenti seu
 obstaculi, quod absit, interesset, quod de moneta civitatis Quedeling-
 burgensis octo marce usualis integraliter persolvi non possent, saltim de
 10 allodio domine preposite tales redditus persolvi deberent et ad plenum
 restaurari. Et nos supradicte preposita et decana nostrumque capitulum per presentes astringimus et posteros nostros, tam canonicas quam
 canonicos, presentibus obligamus, ut memoria a sepedictis Reynero et
 uxore sua tam devote instituta modis et condicionibus et terminis supra-
 15 scriptis in ecclesia nostra perpetue peragatur, in cujus rei testimonium
 sygillum capituli nostri presentibus est appensum. Testes hujus rei sunt
 dominus Albertus, plebanus sancti Benedicti Quedelingburgensis; domi-
 nus Arnoldus, dominus Hinricus canonici ecclesie nostre, dominus Luderus,
 plebanus in parvo Ditforde; Bernardus de Bechem, Johannes Magistri, Con-
 20 radus de Latforde burgenses et alii plures fide digni. Datum Quedelingburch
 anno domini MCCCXXXIII in vigilia Symonis et Jude apostolorum beatorum.

A. e. Littera Reneken Mester Janes super fest. et memoria.

Original mit Siegel im Staats-Archiv zu Magdeburg s. R. Stift Quedlinburg, II. Nachtrag No. 31.

25 Gedruckt im Auszuge bei Erath 431, vollständig bei Kettner 458.

120. *Jacob, Propst des Klosters S. Wiperti, verkauft wiederkäuflich dem Prior, Custos und Convent seines Klosters 1 Mark jährlicher Einkünfte aus dem Rathhause zu Quedlinburg für 10 Mark, welche vordem Gebhard Moller genanntem Prior, Custos und Convent behufs Stiftung einer Memo-*
 30 *rie für sich übereignet hatte. 1334. Jan. 2.*

Nos Jacobus, gracia dei prepositus ecclesie s. Wiperti prope civitatem Quedelingeborch, in hiis scriptis recognoscimus lucide profitentes, quod nos hujusmodi reddituum ad nostram preposituram pertinencium, quos habemus in domo consistorii civitatis Quedelingeborch, illorum
 35 inquam, vendidimus et dimisimus unius marce redditus Stendaliensis argenti domino priori custodi et toti collegio nostro pro decem marcis Stendaliensis argenti nobis solutis totaliter, quas quidem Ghevehardus Molendinarius, pie recordacionis, quondam civis in Quedelingeburg, in perenne remedium anime sue et uxoris ipsius Jutte elemosinam saluta-
 40 rem faciens dicto collegio donavit et contribuit sub condicionibus infra-
 scriptis, videlicet quod predictam marcam suis terminis, puta super diem s. Johannis Baptiste dimidiam marcam, et ad festum nativitatis Christi dimidiam marcam annis singulis cum nobis presentanda fuerit,